

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Gebri Arabis Chimia**

**Geber**

**Lugduni Batavorum, 1668**

De Ceratione. Cap. LIV

[urn:nbn:de:bsz:31-95581](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-95581)

mabiles tenuissimæ, ingenioso & subtili divisionis artificio ab eis separentur, per hunc ultimum fixationis modum. Argentum verò vivum hanc considerationem non habet, quia non comburitur nec inflammatur per ignem. Quare similiter temperatiori calore quàm argentum vivum indigent illa in hoc modo. Similiter diversificantur: quia in longiori figuntur tempore quàm argentum vivum. In eo similiter, quoniam altiùs elewantur propter suam raritatem quàm argentum vivum: ideoque longiori vase indigent, quàm argentum vivum ad suam fixationem. Fixionis autem modus marchesitæ, magnesiæ & tutiæ est: ut cum post primam illorum sublimationem acquisiverimus quod ex eis volumus, abjectis illorum fecibus, reiteremus super ea sublimationem, totiens convertendo quod superiùs ascendit, ad id quòd inferiùs remansit, ex unoquoque illorum, quotusque figantur.

*De Ceratione.*

CAP. LIV.

CERATIO est ad liquefactionem duræ rei vel siccæ non fusibilis mollificatio. Ex hoc igitur manifestum est: quod causa inventionis hujus fuit, ut quod ingressione ex privatione suæ liquefactionis

nis

nis non habebat ad corporis alterationem, mollificaretur ut flueret, & ingressionem haberet. Putaverunt autem aliqui hanc cerationem debere de oleis liquidis & aquis fieri. Sed erroneum est illud: & à principis hujus magisterii naturalibus semotum penitus, & maxime ex manifestis naturæ operibus reprobatum. Naturam enim non videmus in ipsis corporibus metallicis humiditatem citò terminabilem ad illorum fusionis & mollificationis necessitatem potuisse. Si enim talem humiditatem citò ignis calore terminabilem illis potuisset, relinqueretur necessario, ut citissime, scilicet ignitione & fusione completa una, ipsa corpora totaliter omni humiditate privati contingeret. Quare ex illo sequeretur, post unam ignitionem corpus quodlibet nec malleari, nec fundi posse. Quamobrem in quantum imitantes naturæ opera possumus, necesse est nos modum naturæ in cerando sequi. Cerat autem ipsa in radice cerationis fusibilem humiditatem, quæ super omnes est humiditates expectans ignis calorem. Igitur & nos consimili cerare humiditate necessario expedit. In nullis autem rebus melius & possibilis hæc humiditas cerativa invenitur, quam in his, videlicet sulphure & arsenico propinquè. Propinquius autem & melius in argento vivo. Horum enim humiditatem non videmus terram

terram illorum post resolutionem relinquere, propter fortem unionem, quam in opere mixtionis naturæ habuerunt. In omnibus autem rebus aliis humiditatem habentibus, experimento inuenies, ea in resolutione à terrea sua substantia separari, & post illius separationem omni humiditate privari. In spiritibus autem prædictis & maxime argento vivo, hoc minime contingit. Ideoque non est aliud, per quod ab illorum inceratione, illa acceptatione excusari possumus. Modus ergo cerationis est per illos: ut totiens super rem cerandam multiplicetur eorum sublimatio, quousque in illa cum humiditate sua manentes, fusionem bonam & competentem præsentent. Hoc autem non fiet ante illorum perfectam mundationem ab omni re corruptente. Sed mihi melius videtur, ut eorum olea prius figantur per oleum tartari, & cum illis fiat omnis ceratio competens & necessaria ad hanc artem.

*Libri primi finis.*

GEBRI